



**CL. V. Ioannis Wamesii, I. C. Celeberrimi, In Academia
Lovaniensi Antecessoris Primarii, Responsorum Sive
Consiliorum De Iure Pontificio Tomus ...**

Wamesius, Johannes

[S.l.], 1643

De regular. & trans. ad relig. Consilium CCCCLVI.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98716](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98716)

non sunt De tut. & curat. dat. ab his & c. ab eo, qui in superioritate illi proximus est: qui ordo & in appellationibus observatur, l. Imperatores De appellat. c. Dilecti 2. De appellat. Interim quemadmodum propter præminentiam potestatis, Papa, omnis medijs, appellari potest, can. Ad Romanum II. q. 6. appellandi tamen ad illum omnis medijs non est necessitas, sed electionis potestas, c. Licet De foro compet. ita quoque confirmatio electionis à Papa tamquam omnium superiore, & cum quocumque superiore in iurisdictione & potestate concurrente, can. Cuncta per mundum IX. q. 3. panor. in c. fin. nu. 45. De foro compet. peti potest; nemo tamen inferiori subiectus petere cogitur. Quo fit, ut qui ex voluntate petit ulterius à Papa confirmari, quod inferior ex potestate suæ iurisdictionis & superioritatis concessit, superabundanti & non necessariâ cautela utatur, d. c. Cum monasterium & ibi Gloss. Panor. & alij. Quæ enim potestati alicujus permittuntur, juris necessitati non subijciuntur, l. Non quicquid de iudic. De quo minor potest esse dubitatio, quod ista confirmandi electionem potestas dicatur Ordini vestro ex speciali privilegio etiam sine aliqua præcedente examinatione competere, prout alibi meminit Nicolaus Boerius, decis. 71. nu. 3. Verum quidem est ex constitutione Nicolai Tertij Papæ, in c. Cupientes De elect. lib. 6. regularium Ecclesiarum electos, quorum electionum confirmationes, vel infirmationes ex immediata subiectione pertinent ad Sedem Apostolicam, teneri confirmationem petere à summo Pontifice: sed id non potest Prælatum Monasterij vestri applicari. Etsi enim totus vester Ordo Præmonstratensis, omniaque illius Monasteria, ab ordinaria iurisdictione sint exempta, vel ex sola Bulla Innocentij Tertij, sub data anni 1198. sexto Kalendas Augusti; & sic Sedi Apostolicæ subiecta: ea tamen subiectio quoad singula Monasteria non est immediata, sed in omnibus, excepto uno Præmonstratensi, mediata & velut subalterna; quatenus Patri Abbati, seu Generali ex dicta Innocentij Bulla primo loco subiecta sunt; & sic in immediata Papæ subiectione constituta dici non possunt. * Immediatus enim est,

2. qui sine medio proximus est, & quem nemo præcedit, l. proximus de verb. signif. lo. Monach. in d. c. Cupientes nu. 29.

In Præmonstrato est Abbas Pater Generalis, & caput in toto suo Ordine; alia ejusdem Ordinis Monasteria, Abbates filios habent, Innoc. in Bulla, quæ extat impressa inter alias Innocentij Tertij decretales Epistolæ, Chassan. in catal. gloria mundi parte 4. considerat. 66. dicto Patri Abbati in superioritate & iurisdictione subiectos: à quo Patre Abbate Abbates filij, quamvis à iurisdictione ordinaria exempti, electionum suarum confirmationem petere & obtinere ad plenam securitatem possunt; imò ex ordinario jure coguntur: quod & in confirmationibus inferiorum Ministrorum provincialium Ordinis Minoritarum, qui immediate subsunt Ministro Generali, & mediatè Sedi Apostolicæ, à Summis, Sylvest. & Angel. de Clavis. locis sup. citatis, apertè observari traditur, sed exempli tantum gratiâ; non quod in illis solis hoc obtineat; ut exempla regulam non solent restringere, l. R.

gula §. & licet De iur. & falli ignor. l. Damni infecti 2. in fine De damno infecto. Cum igitur in proposito articulo regula juris sit, à cuiusque immediate superiore petendam esse electionis confirmationem, c. Nihil est De elect. Mandagotus in tract. de elect. c. 56. videtur mihi vestram Paternitatem præcisè non obstringi, ut electionis de se factæ confirmationem petat à Sede Apostolicâ, cui ex juris ratione sufficere possit, sui immediati superioris ea in re potestas & auctoritas: nulla etiam habitâ consideratione ad id, quod ejus prædecessores, ex maiore fortè scrupulositate, & ad abundantiorum, non necessariam cautelam fecerunt; qui ea in parte non potuerunt suis successoribus, contra iurisdictionem, aliam à jure communi recedentem formam præscribere. Vt enim superabundans cautela non nocet; ita quoque vel malè adhibita, vel omnino omissa, vitare non debet, l. Testamentum C. De test. l. cum tabula D. de bon. poss. sec. tab. nisi fortè aliquid aliud in privilegijs, vel ordinationibus vestri Ordinis sit, quo circumscriptâ juris ratione, Monasterium vestrum vel solum, vel cum alijs ad petendum à Sede Apostolica electionum confirmationes, sint specialiter obligata; de quo inquirendum erit. Si nihil tale est, præmissis insistendo existimo, nullam esse necessitatem confugiendi ad Sedem Apostolicam pro confirmatione electionis vestræ.

De regular. & trans. ad relig.

S V M M A R I V M.

- Regularis Ecclesiæ seu loci Præpositus.
1. Beneficia Ecclesiastica sine diminutione conferenda.
 2. Beneficia regularia an sint manualia an perpetua.
 3. Religiosus beneficiatus an & quatenus sit suo superiori obedientissimus.
 4. Religiosus an seculari beneficio & quomodo præficiatur.
 5. Religiosus quando adversus suum abbatem agere possit.
 6. Prælati Religiosi an sua Religiosis beneficia cum diminutione conferre possint.

CONSILIUM CCCCLVI.

RESOLUTIO propositarum questionum ab uno litoris pendet articulo, quo scilicet jure Religiosi Monasterij Tongerloensis per suum Abbatem Ecclesijs parochialibus præfici, hujusmodi Ecclesias habeant & obtineant; t an perinde ut saculares sacerdotes, quibus beneficia Ecclesiastica sine diminutione conferri debent, c. 1. v. ecclesiast. benef. sine diminut. confer. & quidem jure perpetuo. Sacularia enim beneficia regulariter omnia sunt perpetua, nec sine causa, quæ depositionem ab officio vel beneficio meretur, auferri possunt, Card. Zabard. conf. 57. ad primum nu. 5. An verò alio jure, ex quo minor sit Religiosi ac beneficiati potestas?

Et sanè jure communi receptum est, omnia regularia beneficia, hoc est quæ Religiosi, monasticam vitam professi, conferuntur esse manualia, & minime perpetua; nisi ex privilegio Papæ, aut præscriptâ consuetudine perpetuitatem induerint, c. cum ad Monasterium §. tales De statu monach. & regul. c. 1. in fine De privileg. lib. 6. Clement. 1. vers. præmissa

*Premissa De supplen. neglig. pralat. latè Rebuff. in tract. de pacific. possess. nu. 2. 72. Ita ut Religiosus per suum Abbatem alicui beneficio etiam curato præfectus, possit ad nutum Abbatis (nisi ex malitia id faciat) ad suum Monasterium revocari, aut ad aliam Ecclesiam transferri. * Vnde consequitur, quod Religiosus sic beneficiatus à suo Abbate, & præsertim ad beneficium, quod ex fundatione vel incorporatione pertinet ad Religiosos seu regulares personas, maneat in obedientia sui Prælati, illiusque obedientiarum dicatur, etiam si quoad sacramentalia & diocesanam legem Episcopo seu Ordinario subijciatur, d. cap. 1. in fine, d. vers. præmissa, Clem. 1. & ibi Bonifac. de Vital. nu. 1. De regular. non etiam quoad conditionem personæ, c. Cum capella c. Ex ore De privileg. quæ sola respicit Prælatum, cui subest, Gloss. in Clem. Ne in agro §. ad hac, in verb. ad claustrum De statu Monach. Panor. in c. Quod dei timorem nu. 2. De statu Monach. Ratione cuius subjectionis nullam perpetuitatem in beneficio habere potest, sed ad nutum est revocabilis ex natura manualitatis; quæ (ut diximus) regularia beneficia semper concomitantur.*

4. Quæ natura & consideratio facit, ut plus possit Abbas constituere circa suum Religiosum alicubi ad curatum beneficium promotum; non quidem, ut infringat regulam juris de conferendis beneficiis sine diminutione, d. cap. 1. *Ut Ecclesiast. benefic. sine diminut. confer.* sed ut tunc, cum ipsa Ecclesia, cui præficitur, & Ecclesiæ bona sunt incorporata Monasterio, sub onere præficiendi unum ex Religiosis Monasterij, in arbitrio Prælati seu Abbatis sit, quantum velit suo Religioso pro vitæ alimentis, & congrua portione ex eisdem bonis assignare. Cum enim universa bona sint Monasterij, cui Ecclesia incorporata est, & ex se nihil habere possit Religiosus, imò nec ad huiusmodi Ecclesiam promoveri, nisi ratione huiusmodi incorporationis (nam illa cessante, opus est dispensatione, Bonifac. de Vital. in d. Clem. 1. De regular. nu. 10. Rebuff. in praxi benefic. lib. 2. tit. De dispensat. cum regular.) satis debet illi esse, si ad sufficientiam ei ex illis assignetur aliqua congrua portio; ultra quam quicquid est, Monasterij est. Proinde præsuppositâ huiusmodi incorporatione, sequitur quod in potestate Abbatis (non Episcopi) sit, ex decimis seu bonis unius Ecclesiæ, Religioso suo alterius Ecclesiæ curato congruam portionem non habenti, aliquid alteri, qui abundat, detractum adijcere. Quæ enim invidia, aut quod inconveniens est, si quod propter abundantiam suo Religioso detractum, Monasterio referre posset, id alteri propter incongruam portionem adijciat? l. 1. §. idem autem De qua pluvia arcent. Instit. De lege Fufia Can. tollen. * Sanè si hac in re Abbas modum excederet, & suo Religioso nimis detraheret, nec tantum relinqueret, quantum satis esset ad congruam portionem, & ad se honestè exhibendum, eo casu posset Religiosus adversus suum Abbatem iustè querelam deponere, & sic iniquitatem detractionis ad congruam portionem reducere, c. 2. De supplen. neglig. pralat. idque inoffensâ obedientiâ, quam suo superiori debet, cum jus permittat Religioso ex his & similibus causis in iudicio etiam consiliter adversus suum superio-

Cons. Wamef. Tom. II,

rem, c. Ex parte & ibi Doct. De accusat. Rotâ decis. 350. alias est 10. sub tit. De iudiciis in novis.

Ceterum si Ecclesia, de qua quæritur, cum suis bonis non sit incorporata Monasterio, sed Abbas tantum habeat jus præficiendi unum ex suis Religiosis, qui eo casu perinde non desinit esse obedientiarius, *l. ubi supra cit.* minor erit Abbatibus potestas: cum non possit beneficium hoc conferre cum aliqua diminutione, aut collatum pensionem aliquâ gravare, multò minus per unionem aut dismembrationem minuire, d. cap. 1. De supplen. neglig. pralat. Clem. 1. eod. tit. Clement. 1. §. ad hac & ibi DD. De statu Monach. Et cum hoc facere tentat, non debet Episcopus sic præsentatos Religiosos admittere, c. De Monachis De præben. & si iusta causa huiusmodi alicuius faciendi occurrat, facere id debet auctoritate Episcopi diocessani, d. c. De Monachis Bonif. de Vital. in d. Clem. 1. §. eadem De supplen. neglig. pralat. sed ita, ut Religioso sic præsentato & promotus de proventibus Ecclesiæ tantum permaneat, unde iura Episcopalia persolvere, congruam sustentationem habere, & hospitalitatem exercere possit, d. c. 2. De supplen. neglig. pralat. d. c. De Monachis.

Quamvis igitur ex præmissis satis intelligi possit, quid censendum sit de quæstionibus propositis, ut tamen ex comperta rei veritate certius responderi possit, quod Religiosus, qui nos consulit, hac in re sine periculo & offensa facere possit, consultum erit inquirere, quale jus Abbas seu Monasterium habeat in Ecclesia parochiali, de qua quæritur, hoc est, an pleno iure ad Monasterium pertineat; ut solet esse, cum Monasterio Ecclesia cum bonis suis incorporata est, & ad Abbatem pertinet institutio & destitutio beneficiati: an verò dumtaxat quoad præsentationem beneficiati, ipsâ Ecclesiâ mensâ Abbatis seu Monasterij minime unitâ. Nam pro varietate veritatis facti, variat quoque juris ratio; de qua Domino consulenti tunc propius respondebimus.

De regular. & transf. ad relig.

S V M M A R I V M.

Monachus an beneficii capax sit.

1. Taxa excessum quis probet.
2. Nominatio uni directâ non valet ad beneficium, quod Collator cum alio commune habet.
3. Confirmans an det.
4. Beneficium sine canonica institutione obtineri non potest.
5. Quis que ex suo non alieno iure agit.
6. Religiosus secularium beneficiorum incapax est.
7. Religiosus non debet dispensari ad duo beneficia.
8. Religiosus ad beneficium promotus manet in obedientia sui superioris.
9. Regularis canonicus monachus est.
10. Beneficia regularia regularibus, secularia secularibus conferenda.
11. Status ultimus beneficii inspiciendus.
12. Provisio nova purgat vitium prioris tituli in beneficiis.

Hh. CON.